



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Concordia de Ecclesia sancti Clementis Cremonensis inter monachos sancti
Albini Andegavensis & Vindocinenses, facta apud Carnotum anno Christi
MLXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

CONCORDIA DE ECCLESIA

*sancti Clementis Credonensis inter monachos
sancti Albini Andegavensis & Vindocinen-
ses, facta apud Carnotum anno Christi*

MLXXII.

NOtum sit omnibus tam futuris quam præ- An. 1071.
sentibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus quod
Orricus sanctæ Trinitatis Ecclesiæ Abba de Vindo-
cino, atque Otbrannus sancti Albini Andegavensis
Abba, Carnotum pariter venerunt ante præsen-
tiam Cardinalis Romani, Domini videlicet Geraldii
Ostiensis Episcopi, ut ibi justè terminaretur con-
tentio quam inter se diù habuerant de Ecclesia Cre-
donensi sancti Clementis, quam uterque ad suum
monasterium jure pertinere conabatur alstruere.
Quæ dissensio cum nec ibi finiri potuisset, præfa-
tum Cardinalem pro eadem causa Parisius secuti
sunt; ut saltem in Concilio quod ibi determinatum
erat, finem consequeretur prædicta contentio. Sed
cum nihilo magis ibi promovissent, Carnotum pa-
riter cum Domino Arraldo ipsius sedis Episcopo re-
deuntes, ipso mediatore ad hanc concordiam de præ-
dicta causa tandem venerunt ut Otbrannus Abba
sancti Albini Andegavensis ducenas libras denario-
rum Andegavensium terminis constitutis ab Orrico
sanctæ Trinitatis Abbate reciperet pro dimittenda
calumnia quam habebat in Ecclesia sancti Clemen-
tis Credonensi. Factum est autem hoc ex consensu
omnium quos secum habebant, tam laicorum,
quam monachorum; eo tamen tenore, ut si infra
terminos constitutos pecuniæ persolvendæ Abbatum
alteruter decederet, Ecclesia tamen Vindocinensis.

sanctæ Trinitatis prædictam pecuniam persolveret Ecclesiæ sancti Albini Andegavensis; ea tamen conditionis lege, ut prædictus Abbas Otbrannus hoc ipsum in capitulo sancti Albini ex assensu fratrum omnium ac totius familiæ ratum faceret. Quod ut firmum & inconvulsam maneret, litterarum memoriæ tradi voluerunt; & in capitulo Carnotensis Ecclesiæ, ne quando lis sopita revivisceret, unanimiter confirmaverunt.

S. Adraldi Episcopi. Signum Otbranni Abbatis. S. Ingelranni Decani &c. S. Orrici Abbatis &c. Anno ab incarnatione Domini M L X X I I.

In ipsa synodo fecerunt primò monachi sancti Sergij, vel monachus Adelardus, clamorem de Campiniaco adversus Abbatem S. Albini.

*NARRATIO QUOMODO
cùm eadem controversia postea recruduisset
inter eosdem monachos, Urbanus I I. Papa
novæ inter eos concordie auctor fuit.*

Ab. 1094.

Eccliam sancti Clementis Credonensis castri cum omnibus appendiciis suis ecclesiasticis possedere quietam monachi beati Albini amplius quam triginta annis in pace. Eam Goffridus Martellus Andecavorum Comes, patienti eis sublatam violentiam, monachis dedit Vindocinensis monasterij, non tamen sine calumnia monachorum sancti Albini. Cùmque pro hac re inter hos illosque monachos jugis perseveraret discordia, tentatis priùs frustra pluribus synodorum conciliorumque judiciis, apostolica tandem vocatione Urbani Papæ jubentur præsentari, facturi ad invicem ex ejus decreto canonica jura. Au-